









1716.

1. Bartholomaeus, Gott. Christianus: De exhortatione, quatenus  
jure cuncti recte facta dicuntur.
2. Berger, Fr. Gulielmus: De incommode et literatis episcopis & leu-  
capiendo
3. Chlaenius, Martinus: De conscientia cantoriana
4. Gruber, Thos. Henr.: De probacionum, que jurisjurandi  
declinantis causa suscipiuntur, ambagibus reconditibz  
et segregant a probacione et jurisjurandam
5. Gruber, Thos. Henr.: De jure suffraganti principium imperii  
non informans non perante
6. Hager, Iohannes: De unctione regum.
7. Hartmann, Fr. Gottfr.: Cursus iuriis oec. jurisprudentiae  
universalis in artibus retidac I. civitis exercitibus I
8. Hornius, Korp. Henr., Collegii Titorum ... Decanus:  
(ad Diputationem ordinem ... Tuca Corthensis ...  
invites)
- 9) Hornius, Korp. Henr., Collegii Titorum ... Decanus:

- (ad Reputacionem sollemnam . . . Iohannes Baldinger  
invitat.)
10. Hornius, Korp. Hein., Collegii Zetorum . . . Decanus?  
ad Reputacionem sollemnam san. Sigismundi sufficiet  
invitat.
11. Hornius, Korp. Henricus, Collegii Zetorum . . . Decanus:  
ad Reputacionem sollemnam Corals, Gottfried  
<sup>M</sup> Weyckleri invitas  
<sup>HORN.</sup>
- 12<sup>o</sup>.<sup>b.i.c.</sup> Hornius, Korp. Henricus: Observations circa  
jura eleemosynarum et aliarum collectarum  
ecclesiasticarum templorum et batalearum parte-  
citionis etc. 3 exempl.
13. Hornius, Korp. Henricus: Nco, quod justum  
est circa arbores turbine dejectas (Wintzendorf)
14. Loescher, Mart. Gott.: De novo plerisque aethereos.

15. Lysos, Polycarp: Annales & versiones criticalis  
Ephemerorum literarum in primis heresiaram  
methodum.
16. Lysos, Polycarpus: De origine errorum  
rum ac fallaciorum, sed et falso.
17. Mencken, Gottfr. Ludw.: De testamento judiciale  
extra locum iuris consto
18. Mencken, Gottfr. Ludw.: De febre puerorum
19. Späder, Christopher Nicolai: An stricta iura  
mentorum interpretatione secundam conscientiam  
tinerem sit purgatorium?
- 19<sup>a</sup>. Strupius, Fredericus: Linguae Mercurio apud  
Grecos sacras... publicae erat tamen dignissimi  
actioni proponit.
20. Veler, Christianus: De liene mortificante
21. Wahlt, Christopher Gottlieb: De primitia hominibus
- Circa 1700.

22. Wagner, Gottfried: Scriptores, qui de sua  
ipso vita exposuerunt
23. Werner, Dr. Balduin, Ordinis juridici... decanus:  
Lectori s. d.: (ad Disputationem sollemnem  
Krausii invitata)
24. Werner, Dr. Balduin: De fructibus in Tribullia-  
nicam impudentis
25. Werner, Dr. Balduin: De vi et efficacia juri-  
mentorum in confirmantib[us] causis matrino-  
niatis
26. Werner, Dr. Balduin: De iure circa honores.  
senatorios, senabiles in genere, speciebusque  
alexopolitanis 2 exempl.
27. Werner, Dr. Balduin: De reconvictione ante  
firmiter conventionem in fros Saxonico insti-  
tuta.
- 28.

28;

Woraker, Fr. Belker: *Wissertatio iuridica in auct.,*  
qua selectae observationes forenses . . . publice  
mentitantes proponunt.

29 Wendorfin, Gottlieb: *De polygynia*


30. Wijers, Hieronymus: *De Formosi, papae  
Romani, exuvies, his & tumulo deformatis,  
ac tantum in Tyberim objectis.*

17. Februar 1811

Sehr lieber Herrn Professor Dr. C. F. W. Baur  
Geben Sie mir die Gnade eines kurzen  
Schreibens, um Ihnen zu danken und Ihnen  
meine Hochachtung zu erneuern. Ich habe  
sehr lange nichts von Ihnen gehört, und ich  
habe mich sehr gefreut, als ich Ihre  
Bücher in der Buchhandlung von H. L. Müller  
in Berlin sah. Ich habe sie sehr  
genossen und kann Ihnen nur  
empfehlen, dass Sie sie  
kaufen sollten. Sie sind  
sehr gut geschrieben und  
sehr interessant.

mit  
A. C. F. W. Baur





*Q. D. B. V.*  
1726 1722 232  
DISSERTATIO IURIS NATVRAE ET GENTIVM

**AN  
STRICTA IVRAMEN-  
TORVM INTERPRETA-  
TIO SECUNDVM CONSCI-  
ENTIAM TENERAM  
SIT PERIURIVM?**

*QUAM  
AVSPICIIS*

RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI  
SERENISSIMI PRINCIPIS REGI  
DOMINI

**DN. FRIDERICI AVGVSTI**  
ELECTOR. SAXON. HEREDIS ETC. ETC. ETC.

*PRAESIDE*  
**M. CHRISTOPHORO NICOLAO  
SPEISERO**

ROTTLEBRODA-CHER.

*IN ACADEMIA VITEMBERGENSI*  
*AD D. V. MAI. A.O.R. MDCCXVI.*

PVBLINE DEFENDET

IN AUDITORIO PHILOSOPHICO

RESPONDENS

**IOANNES IOACHIMVS VESTPHALVS**  
LIEBEROSA-LVSATVS PHIL. ET SS. THEOL. CVLTOR.

VITEMBERGAE, FORMIS KREVSIGIANIS.

l

sione  
cabri  
ra Sa  
circa  
tinis  
hom  
que  
GV  
IX.C  
seg.  
sum  
prac  
Euro  
roru  
autu  
Ecc  
in C  
jusj



# I. N. I.

## §. I.



I nullum antiquis temporibus vinculum firmum fuit, quodque veteres multa religione servarunt, sanè jurandum est, de quo CICERO suo tempore judicat Lib. III. Offic. cap.29. Nullum ad adstringendam fidem jurejurando Majores artius esse voluerunt, id indicant Leges in XII. Tabulis, indicant sacra, indicant Foedera, quibus etiam cum hoste devincitur, fides, indicant notationes animadversionesque Censorum, qui nulla de re diligentius quam de jurejurando judicabant. Cum quoque id ipsum et sana ratio dictaret et Scriptura Sacra commenaret, hac in re non errarunt. Notamus autem circa hanc doctrinam duo extrema evitanda. In Uno peccant Photiniani, Anabaptistæ, Mennonistæ, Quackeri et ejusmodi farinae homines, qui abs tali vinculo abhorrentes illud injustum illicitum que declarare non erubescunt. Qua de re Photinianos censet AVGVSTINVS de Haeresi Cap. XLV. NICEPHORVS Hist. Eccles. Lib. IX. Cap. XXXI. et D. IOANNES OLEARIVS in Universa Theol. p. 1298. seq. Anabaptistas vero notat IOANNES HORNBECKIVS in summa Controversiarum p. 331. et 345. Et tandem Quakeros refutat praeter IOANNEM GEORGIVM NEVMANNVM In Synopsis Errorum Quakerianorum, GEORGIVS KEITH in Vexillo Quakerorum examinato, quod opus Londini Anno 1702. prödiit. In primis autem arguimus hec illos, qui jurare vetant, quis primae Christiani Ecclesiae non jurassent; Dicuntur enim errore maximo, siquidem in Genium Caesaris aut quod idem erat, illius divinitatem Oblatum jurandum jure meritoque recusabant. Nil quoque nosmoveat,

quando Pythagoraei hominem ita esse debere putant, ut illi sine iurando credere possent, Pythagoras enim recte ut debet non vero uti est, loquitur. Ad hos referimus illos, qui Juramentorum naturam ignorant, quo pertinet illud, quod novam obligationem producere affirment, et similia, de quibus omnibus sani juris Nat. et Gent. scriptores et; instar omnium SAMVELIS PVFFENDORFIVS satis multa praecipiunt. Alterum extreum est illorum, qui nimis superstitione ea, quae jurarunt saepe sine discrimine fervare annituntur, adeo, ut, licet illicita in justaque esse videantur, rescindere nolint; sed potius eo delabuntur dementiae ut stricte illa interpretentur, de qua in praesenti plura adferemus.

§. II. Ut autem claros distinctosque conceptus deinde nobis formemus, prius restrictam Juramentorum Interpretationem delineabimus. Quod si explicatio sensus mente et Lingua discrepantibus, ubi ex Juramento ortam Conditionem nobis ingrataam immutamus, ut nostrum commodum, non semper respectu ad proximum habito, queratur.

§. III. Hanc rem ut plenus capiamus et ad exempla danda respondere queamus, expedit Indolem jurisjurandi paulo accurios indagasse. Eum in finem ut et ordinis causa revocabimus in mentem, quae Jurisprudentiae Naturalis Doctores de illo tradunt. Videlicet duo requirunt, (I) in MATERIA et (II) in FORMA recte sese Jusjurandum habeat. In MATERIA quidem caveamus ne versetur circa *ta adiutoria*, cujuscunque generis illa fuerint, item, non circa res illicitas turpes atque injustas. In FORMA autem, quae in Consensu duorum vel plurium personarum consistit, duo respiciamus principia *Intellectum* et *Voluntatem*, quippe a quorum legitima constitutione ac influxu Juramenta vel licita vel illicita aetimantur. Notamus ergo, quod ille saepe vel aetate, vel errore vel denique furore; haec vero vehementibus affectibus, *Ebrietate* et *Coactione* impediri possit.

§. IV. Quid ad Interpretationem attinet, per illam nil aliud intelligimus, quam quod sit obscure dictorum declaratio. Quod vero illa ab objecto suo dividatur in Interpretationem Legum, Testamentorum et Conventionum quod etiam LL. humanarum explicatio triplex sit *Aurentia*, *usualis* et *doctrinalis*, haec vero alia iterum *Extensiva* *restrictiva* et *declarativa*, id jam non urgemos. vid. Lex. XXXVII. de Regulis Juris. Commendamus potius praecipuos, qui in hac re quicquam praeclari praestiterint, Autores. Inter illos vero principem locum tenet Aristoteles, de quo eruditii judicant, quod *ca-  
lamum*

lamum in mentem intinxisset, cum de Interpretatione scripsisset.  
conf. SVIDAS in Voce Aristotelis. DAN. HEINSIVS in Prolegomenis  
Aristarchi Sacri. p. 644. et IOANNES ALBERTVS FABRICIVS in Biblioteca Graeca Lib. III. Cap. 3. seq. Praeter hunc  
habemus H. GROTIUM de Jure B. et P. et PVFFENDORFIVM  
in Jure Nat. et Gent. qui peculiaria de Interpretatione capita in  
seruerunt, quibus fundamenta LL. et Pactorum eleganter docent,  
quae apud alios frustra quæsiveris. Id ipsum putat CVLPISIVS  
qui de Grotio in Collegio suo Grotiano Exercit. VIII. p. 85. tale fert  
judicium: *Qui ad generales certasque regulas hanc disciplinam rede-*  
*gerunt, tam felix ac Grotius nemo fuit.* Notus est etiam celebris ille  
ICTUS IOANNES a FELDEN, qui prolixo et subtiliter Opus de  
scientia Interpretandi edidit Helmstadii Anno 1659. quod vero ni-  
mis Aristotelis aestimatoribus relinquimus. Heic non omittimus  
IOANNEM CLERICVM, cuius Ars Critica Amstelodami  
1697 emissa est et HENR. ERNESTVM cuius compendium Herme-  
neuticae profanae Lipsiae prodiit. ex quo cum omnium Oratio-  
num tum in specie LL. Romanarum rationes patent. Nihil  
jam dicam de illis, qui Hermeneuticas sacras scriperunt, ex qui-  
bus praeter DANHAVERVM in Idea boni Interpretis Argent. 1670.  
emissa commendatur PFEIFFERI Thesaurus Hermeneuticus  
Lipsiae 1704. editus.

§. V. Hisce generalibus praemissis dicendum est, quid per Inter-  
pretationem strictam velimus. Stricta autem dicitur quando ser-  
mo noster vel juratus vel injuratus (qui consentiente corde et Lin-  
guia alias efferriri debet) ita cum altero communicatur et restringi-  
gatur, ut tantum ab uno horum non vero a duobus simul depen-  
deat, qua in re contra veritatem sic dictam Ethicam peccatur et  
quadrat in ejusmodi homines illud EVRIPIDIS: *Linguam juratam,*  
*mentem injuratam habeo.* Inde factum est, ut Aegyptii pingere sole-  
ant Cor humanum gutture appenso, quia sensum cordis et vocem  
gutturis convenientes requirebant. His AVGSTINVIS in Encir.  
Cap. XXII. cum recte subscriptab. *Homo, inquit, debet loqui, quod animo*  
*gerit, omnis aures, qui loquitur contra id, quod animo sentit, mentitur.*

§. VI. Evidem strictae Interpretationis species, quales sunt  
mendacia, fictiones, aequivocationes, Hyperbolæ et simulationes,  
a Viris doctis non absolute contempnuntur; Attamen duo iterum  
effigiamus extrema. Sunt aliqui qui simpliciter ea damnant, in-  
ter quos AVGSTINVIS est, qui contra mendacia Cap. VI. ita scri-  
bere

bere amat: *Si quis ad Te confugiat, qui mendacio Tuo a morte posset librari non es mentiturus.* Aliqui autem sine discrimine illa admittunt, quorsum pertinent Princilianistae, qui mendacia et perjuria in causa religionis commendant dicentes: *Jura perjura secretum prodere noli.* Cum his faciebant Agapetae, homines qui propter occultandas contaminationes et turpitudines suas non erubescunt citata verba suis inculcare. Conf. BEBELII *Antiquit Eccles. sec. IV.* Art. II. §. 235. et Dn. STAHLIUS in erudita *de Mendacio Oratione*, quae est secunda inter eas, quae regulis Philosophicis subiunctae sunt. Porro centendi sunt Jesuitae, quos vivis depingit Coloribus OBRECHTVS ad H. GR. Lib. III. Cap. I. §. 17. Nen.o, inquiens, *nescit, quid hoc in genere faciant Jesuitae, quibus istiusmodi retentiones mentales et interpretationes tacitae communes sunt.* Sic si quacras ex aliquo, an banc vel illam rem habeat, et ille habeat, respondet vero se non habere, dicunt non esse mendacium.

§. VII. Satis autem sunt a Nostris refutati, inter quos præter reliquos notus est BALTHASAR MEISNERVS in *Pbiloophia sobria Part. III. Cap. VII. seq.* et Summe Rev. D. IOANNES FRANCISCVS BVDDEVS in *Instit. Theologiae Moralis Part. II. Cap. III. Sect. V. §. 9.* Imo ipse ex Pontificis AZORIVS Lib. II. *Instit. Mor. Cap. IV.* suos hac in re notavit. Media itaque via incidentes non semper et absolute posse rejici reservationes mentales statuamus; videlicet si gloria DEI, commodum proximi per illas amplificari potest, quod et sana ratio et sacrae literae abunde testantur: Sic DEVS Abrahamum mactare Ifaacum jubebat Gen. XXII. Samuel debebat institutum suum ungendi Davidem prætextu sacrificii palliare I. Sam. XVI. Iaël ope falsiloquii Sisoram occidebat, quod facinus ab ipso Spiritu Veritatis laudatur Iud. IV. v. 17. Davides furorem simulabat, de quo vid. HEBENSTREITHI *Dissert. hab. Vitemb.* 1712. Davides quoque Abimelechum innocentissimum sacerdotem falliebat I. Sam. XXI. v. 2. Imo Christus ipse se ultra progreedi velle simulabat Lue. XXIV. v. 28. quod dictum quomodo sit explicandum eleganter ostendit laudatus BVDDEVS in *Instit. Theol. Mor. Part. II. Cap. III. Sect. V. §. 9.* Adjungimus Ulysem, quem CICERO laudat Lib. III. Offic. Cap. XXVI. et Solonem, quem DIOGENES LAERTIVS de Vita et moribus Philos. Lib. I. segm. 46. ita describit: *Cum Athenienses et Megarenses etc.*

§. VIII. Quae cum ita ut sint in sermone simplici illæ vel ad probentur vel non simpliciter condemnentur, videtur stricta Jura men-

ramentorum interpretatio suo modo defendi et retineri posse.  
Ut autem hac de re certiores fiamus, expedit rem selectioribus exemplis illustrare, quorum duas faciemus classes, Sacra et Profana.

S. IX. Inter Profana quidem suis exemplis praeluent Romani. Quis enim ignorat, quod illi, cum post tot bellorum certamina pacem cum Antiocho Rege Syriae inirent hoc paciscebantur et adjurabant: *Se Naves divisiros esse*. et deinde tamen non distribuebant; sed in damnum Antiochi ferris dividebant, arque demoliebantur. Eadem fere fata Carthaginenses patiebantur qui hanc pacis conditionem Romanorum ratam habebant: *Carthago debet esse libera*. Carthaginenses enim paulo post experientur Carthaginem incendio a Romanis destrui, et licet Romani hanc ob causam rei perjurii haberentur, mentem tamen hoc modo explicabant: *Carthaginenses Cives esse liberos*, non vero aedificia. Non multum ab his alieni sunt Plataenses et alii Graeci, qui bella cum vicinis gerentes multos Captivos abducebant. Quo facto tale foedus quidem pacis feriebant: *Uli homines restituenteruntur*; sed Plataenses, occisos homines reddebant, purantes se pacis et Conventis latis fecisile, de quibus omnibus Scriptores rei militaris speciatim vero VEIETIVS, FRONTINVS, MODESTVS et AELIANVS confundendi sunt pluribus. Hisce quaedam ex graecis subiungimus: Sic Paches Notium oppugnans Hippiam ducem Pifuthnae postulabat, ut munitione ad Colloquium exiret, fide data se illaeum et vivum eum remisifurum. Postquam vero processerat, erat Custodia penes illum relicta, Notium vi capiebat atque Hippiam tum vivum in urbem inducebat, quemadmodum foedere promiserat, postea jaculo perimebat vid. POLYÆNI de Stratagematu Lib. III. p. 165. edit. Lugduni Anno 1589. cum notis If. Cesaboni in 12. Porro cum Locri foedus cum Siculis facerent, Allii Capita subtuncis super humeros imponebant et terram injectam calceis sub pedibus habentes jurabant se firmam ac solidam ipsis rempublicam conservatos, donec eam terram calcarent et capita in humeris ferrent. Jurijurando fidem habentes Siculos omnes postridie Locri in terficiebant quasi jam non amplius in eadem terra ingredientes ne que capita super humeros ferentes ibid. Lib. VI. p. 457. Sic quoque Aryandes Barcaeorum urbem oppugnans nocte fossam ducebatur, lignis imbecillibus transversum positis exiguae terra injecta. Interdiu Barcaeos ad foedus ineundem vocabat stansque cum iis qui

qui foedus percuterent, super latentem fossam jurabat: Quam diu terra permaneret, se contenta servaturum. Barcae autem ubi acceptis juramentis portas aperiebant, Aryandae milites effracta fossa Civitatem occupabant, cum non amplius terra maneret, in qua juraverant. ibid. Lib. VII. pag. 525. Malitiosam quoque Juris Jurandi Interpretationem describit nobis CICERO de Offic. Lib. I. Cap. XIII. Ubi Hannibal juraverat quidem se non velle integros dies depopulari agros; attamen nocte eosdem devastabat. Trahimus huc quoque illa, quae apud CICERONEM Lib. III. de Offic. Cap. XXIX. inveniuntur et se ita habent: *Sic decem illi, quos post Canensem pugnam juratos ad Sennatum misit Hanibal in castra reddituros* ----- non recte.

§. X. In Sacris autem hoc genus interpretandi jusjurandum haut infrequens esse, saltem duobus demonstrabimus exemplis. Inter illa scimus jusjurandum, quod Israëlitae fecerant Benjamitis, quodque ita rescindebant, se quidem dixisse filias dare nolle, sed si raperentur nullo modo semet repugnare posse, quamobrem etiam convivium instituebant. conf. Jud. C. XXI. v. 18. Reducimus huc Jusjurandum Davidis de impunitate Simei, quod non nulli explicant, Davidem pro se jurasse cum ea restrictione, quod si Simei ceu homo nefarius, et qui res novas facile moliri possit, de novo aliquid committere sufficeret, a Salomone supplicio cruento sicut puniendus. conf. HOCHSTETTERVS in *Collegio Puffend. Exerc.* VII. §. 32. de his et aliis pluribus.

§. XI. Quemadmodum Vota a juramentis non multum differunt, nisi quod illa supponant obligationem spontaneam de objecto Numinis grato, conf. SELDENVS de Jure Nat. et Gent. p. 835. et SEBAST. SCHMIDIVS in *Fascic. Differt.* p. 69. Ita in primis heic urgemos Votum Jephthae Jud. XI. v. 31. de quo eruditissime disceptant, quorum multi intextu Origin. (literam 1) disjunctive intellectam volunt, illud quod in Scripturae S. interpretatione haut in frequenter fieri soleat, docet elegantissime Venerandus Praeceptor noster IO. ANDR. DANZIVS in *Interpret. Ebraeo-Chaldaico* §. 149. Jen. ed. 1708. Mentionem quoque facimus Pontificiorum, qui nimia superstitione vota servare student. Quis enim non videt eorum stultitiam praefertim in eo, quod imaginibus e.g. MARIAE LAVRETANAЕ vota praestita nunquam relinquerent velint sed potius per religiosas peregrinationes explent, conf. HEIDEGGERVS in *Anatome Historico-Theol. Concilii Tridentini pluri-*

Quam  
i au-  
niles  
terra  
Malis-  
t no-  
averat  
ramen  
e apud  
er et se  
ad Se-  
ndum  
s. In-  
miciis  
nolle,  
obrem  
educiu-  
n nulli  
quod  
et, de-  
ntosif  
Exerc.  
n dif-  
am de  
Gent.  
inpri-  
erudit  
lisjun-  
prent  
Vene-  
erprati-  
cimus  
Quis  
nagini  
elcina  
plent  
ridens  
pluri-  
Pluribus. Obiter et velut *ώς εν παρόδῳ* illos notamus qui in N. T. tam arcte Votis teneri credunt, ut religioni sibi id ducant si illis fese absolverent. Illa autem neque utilia neque necessaria esse probamus (I) quia ratio palmaria cessat, pertinebant enim ad ordinem Cultus Levitici externi (II) nullum exemplum in N. T. habemus nisi Pauli Act. XVIII. v. 18. quod tamen cum in favorem Jadaeorum Levitico more (qui nondum plane erat abrogatus) fieret, nihil probare videtur. (III) Supponunt Vota rem, ad quam non obstrictus sum sed quae in libertate mea posita est. vid. Venerabilis BVDDEVS in cit. *Instit. Theol. mor. Part. II. Cap. III. Sect. II. §. 8.*

§. XII. Nunc caulas strictas Interpretationis inquirentes non sunt aliae nisi nimia supersticio et utilitas propria. Haec duo sicut ex dictis fatis patent, ita in primis supersticio inde eluet, quod homines purent se magis obligari in illis pactis et juramentis, quae cum Circumstantiis quibusdam inita fuissent. Quod autem omni aeo sunt adjectae, exempla passim docent. Ita Labanis foedus cum Iacobis posito lapide siebat Gen. XXXI. v. 45. ita Veteres manum sub femore ponebant conf. DANIEL FESSELIVS Lib. I. *Advers. Sac. Cap. IV.* Apud Judaeos jurabant Symbola non singula; sed septemplicia tanquam numerum perfectum. Et jusjurandum quo difficilius suscipiebant, eo magis obligari arbitrabantur, unde GODEWINVS in Mose et Aarone observat quod Hebraica vox *שְׁבַע* (quae a *שְׁבַע* septem descendit) passim potius jurari quam jurare significaret. Apud Arabes teste HERODOTO in *Tbaliz* Cap. VII. jurantes sanguine septem lapides tingebant. Romanis in usu erat, ut Fecialis praeter alios ritus porcum saxo silice percuteret vid cum ROSINO in *Antig. Rom. HILDEBRANDVM* in Compendio illarum sub titulo: FECIALIS. Quod etiam peculiares formulae adhibitae fuerint, idem observat subtítulo: HERCLE. Caeterum de his conf. JACOBVS THOMASIVS in *Dissert de Styli Ethnicismo circa jurandi Adverbia Christianis fugienda* ed. LIPSIENSIS BARNAVAS BRISSONIVS de *Formulae Lib. VIII.* et CHRISTIAN LVDOVICI *Diss. de praeceps Juris Jurandi formulis Hebreis. Graecis et Latinis* hab. Lipsiae 1692.

§. XIII. Posteaquam itaque naturam, occasionem et varias Circumstantias strictas Juramentorum Interpretationis examinavimus, necesse est, ut argumenta in utramque Controversiae partem ventilemus, ut, dubiis deinde sublatis potius nostrae sententiae locum relinquamus.

§. XIV. Objicitur autem (I) *Non semper late, sed stricte quaque Juramenta esse interpretanda vid.* PVEENDORFFIVS Lib. I. De Offic. H. et C. Cap. X. §. 9. et H. GROTIUS Lib. II. Cap. XIII. v. 5. consentire cum illo videtur dicens: *Ultra receptum loquendi morem extitenda est Juramenti significatio.* (II) *Æquitatis est ut favorabilia extendantur et odiosa restringantur vid.* Lex XIX. PAND. de Liberis et Post humis nec non Cap. XV. de Regulis Juris In Sexto. (III) Qui Juris pacta naturaliter obligandi vim habere cum FRANCISCO CONNANO Jcto negant. (IV) Sentiant illi, qui Moralem Probabilismum afferunt, quo non nulli docent, in agendo aliquem esse posse tutum, dummodo magni alicuius Viri auctoritate munitus agat, quod principium Cerebri Lojolitici inventum est. conf. MONTALTII *Litterae provinciales*, quas a GVILIELMO WENDROCKIO latinitate donatas curavit recudendas. SAMRACHELIVS cum *Examine probabilitatis Jesuisticæ Helmst* 1664. (V) Si finis bonus est negotii, id ipsum non improbari poterit, ita ferme statuit H. GROTIUS, quod, si res, que promittitur non sit illicita, sed majus bonum morale impediens, non valeat iurandum, quia DEO adscribere deberemus quicquid in bono proficeremus, ita ut ejus libertatem eripere nobis ipsis non possemus. conf. GROTIUS lib. II. Cap. XIII. v. 7. (VI) Amor incipit a se ipso. (VII) Haereticis non est fides fervanda, quod tempore pacis Westphalicae Ao. 1648. ubi pactum conuentum magnis solenniis catibus Pontifex irruit reddere Bulla sua conabatur. Prodibat quoque moneta in qua serpens conspiciebatur olivam ore tenens cum lemmate: *Angeli Pacis amare sibiunt.* Per serpentes haereticos, per olivam pacem, per angelos pacis Papam cum Cardinalibus intelligebant qui flerent, quod Protestantes pacem imperassent. (VIII) Papam absoluere et dispensare posse circa juramenta vel rescindenda vel stricte intelligenda. Principem enim dispensare postea affirmant, allegantque Exemplum Eugenii IV. Ladislauum Pannoniae Regem soluentis. Ao 1444. (IX) stratagemata non sunt contra Jus N. et G., quae in primis bellis fieri solet. (X) distinguunt sermonem afferentem et promittentem. (XI) Si SCOTVS, DVRAN. DVS et SVAREZIVS libertatem formale moralis esse arbitrantur, potest homo actionem juramat pro suo arbitrio mutare. (XII) Colliduntur Interdum LL. affirmativa et negativa, ita ut quomodo explicandae sint dubitemus. Praeterea minus malum ex duabus est eligendum conf. GROTIUS de Jure B. et P. Lib. II. Cap. 23. ubi inquit:

*Littere*

Licere eligere quod minus iniquum esse videretur. Induit enim minus malum rationem boni ubi electio evadi non potest.

§. XV. Quod ad Conscientiam attinet, quam vario modo Mortalium Doctores distinguunt, quam quoque praeter alios eleganter depingit IO. IACOBVS FERBERVS in *Philosophia Juris Nat.* Quæst. 133. ed. Vittebergae 1709. intelligimus hic probabilem et scrupulosam. Illa itaque sicuti est actus judicii probabilis sive actus formatus ex mediis terminis, desumus ex iudiciorum et fontibus similitudinis (quae alias etiam probabilitas juris appellatur) colligens esse aliquid honestum vel turpe; ita facile fieri potest, ut praeter nostram Culpm fallamur. Valet tunc canon: penes quem est fieri vel non fieri illi imputatur. vid. PVFFEND. de Offic. H. et C. Lib. I. Cap. I. §. 17. Accedit, quod quasi inter Scyham et Charybdim versemur saepe ob Conscientiam dubiam, quando in utramque partem tales adsum rationes similes, ut mens hominis ne sciat, an in hanc, vel, illam inclinet. Et licet aliquod judicium de aliqua re feramus, saepe tamen cum aliqua animi anxietate Scruples remanet, unde etiam scrupulosa audit. Videut itaque quod propter imbecillitatem et fragilitatem naturae in juramentis, in primis ob malum avertendum, tuamque conservationem quaerendam, ille non erret, qui ea strictè interpretetur. Quae doctrina alios eo deduxit, ut secundum Conscientiam erroneam obligari putaverint, quod urget VASQUEZIVS Tom. I. p. 2. Thomae de Aquino Art. VI. Disput. VIII. Caeterum de Conscientia ejusque divisionibus prolix tractat HOCHSTETTERVS in *Collegio Puff. Exerc. 2.* §. 22.

§. XVI. Tandem ut aliquid de perjurio addamus illud nil aliud est, nisi abnegatio attributorum Dei, quod Gentiles extraordinario modo puniri arbitrabantur vid. H. GR Lib. II. Cap. XIII. §. 1. Si enim factum speciale propositum fuerit, ubi Omniscius, Omnipotens. Jusfissimusque Deus judex invocatur; quod res se ita vel non ita habeat, per jurium vocatur. Hinc etiam legitimus quod ille, qui contra Jusjur. Acad. peccat, reus quidem sit; sed non præcipue perjurii nisi speciatim quid jurejurando pollicitus id non observaverit vid. SCHILTERI *Jus Canon. Lib. I. Tit. XII. I. §. 10.* Aliqui objicunt quidem abnegationem attributorum non esse perjurium, si sola obtestatio præcessisset, ubi Deus tanquam testis non vero judex invocatur, affiruntque locum 2. Cor. I. v. 23. ad quae vero deinceps respondebimus. Caeterum de *Veritate, mendacio Juramenti et perjurii* legi meretur LVD. THOMASSINVS, ed. Ao: 1690. ELIAS DV PIN Tom. 18. Bibl. Scriptorum Eccl. p. 194. IOH. HEINRICVS MEIBOMIVS in *Comment. ad Jusjur. Hippocrat.*

pocrat. Cap. II. seq. et cap. XXII. ubi etiam de perjurii Crimine agitur. De ludeorum frequentibus perjuriis, quae ipsi inter causas praefentis exilii referunt vid. IO. ANDREÆ EISENMENGERI Entdecktes Judenthum Tom. 2. p. 501.

§. XVII. Posteaquam itaque varias dubitandi rationes adduximus, restat nunc, ut haec dubia resolvamus, et nostram sententiam adducamus, qua in re ut breves sumus, notamus quod ille reus perjurii sit, qui fecus statuit ac juraverit quocunque praetextu id factum fuerit, modo omnia requisita, que supra recensuimus adfuerint.

§. XVIII. Ut vero rem rectius intelligamus, solliciti simus de moralitate quadam objectiva in qua, dum multi discrepant, nostram mentem aperiamus. Ante autem rejicimus illos, qui ἐτε καλὸν, ἐτε αἴρεσθαι, ἐτε δικαιον, ἐτε ἀδίκον, statuunt; sed ab opinione hominum dependere putant, quorum Pyrrho cum asseclis et Cyrenaicis duce Aristippe pertinent conf. DIOG. LAERT. in Pyrrhon. s. Lib. IX. Segm. 61 p. 587. et in Aristippo s. Lib. II. Segm. 93. p. 115. Subjungimus his CARNEADEM, qui credebat homines sibi jura pro utilitate fanxivisse de quo LACTANTIVS in Institut. Divinis Lib. V. Cap. XV. legi mereatur. Tandem Epicureos, quorum norma actionum voluptas est, excludimus, de his judicat HORATIVS Lib. I. Sat. III. r. 96. ita: Cum verum ad verum est sensus moresque repugnant atque ipsa utilitas est, nec non TH. HOBESVM de Cive Cap. I. §. 7. Alii deinde dicunt actiones per se bonas vel malas esse, quare etiam AVGVSTINVIS Lib. IV. Eth. Cap. VII. Scribit: Per se mendacium malum et vituperandum est, immo indiferentes statuunt multumque de medio, uia vocatur participationis blarerant. Haec vero omnia examinavit Venerandus BVDDEVS in Diff. de Scrupuloso Morali bab. Halae 1699.

§. XIX. Caeterum distingunt Moralitatem in Objectivam sive fundamentalem et formalem sive relativam. Illam dicunt, quae in Objectis per se, et e sua natura antecedenter ad omne praeceptum honestis vel turpis deprehenditur. Hanc vero describunt ex impositione legis et in ipsa actus ad regulam proportione et commensurazione consistere. vid. HOCHSTETTERI Coll. Puff. Exerc. I. §. 7. Collata Exerc. IV. §. 25. nec non laudatus FFRBERVS in Phil. Jur. Nat. §. 22. et 33. ubi contra SCOTVM DVRANDVM et SVAREZIUM disputat. Tandem totam controversiam decidit summe Rev. BVDDEVS, qui multis rationibus varias variorum sententias examinans concludit, esse normam nostrarum actionum Legem et Voluntatem DEL. vid. Instit. Theol. Mor. Part. II. Cap. I. §. 29. Id ipsum etiam multi Philosophi olim

olim docuerunt, sic PLATO, inquit: *Philosophus finem ponens beatitudinis, eum esse DEI assimilationem, quantum ejus fieri potest quod CLEM ALEX. de Platone testatur Strom. l.c. p. 403.* ZENO ZITTIAEVIS dicere amabat οὐολογεμένως ζῆν convenienter vivere, cuius interpres CLEANTHES vocem addit τῇ φύσει. Stoici autem per naturam neminem nisi DEVVM intelligebant, quod passim JVSTVS LIPSIVS in *Meditatione in Philo. Stoicam* docet.

§. XX. Quodsi itaque constat Voluntatem et LL. divinas etiam ex ratione cognitas Lapidem Lydium esse actionum nostrarum, sequitur, quod ex amore et studio nostras actiones ad illam debemus compонere, quod alias virtus dici solet, quae quidem omnes conexae sunt, uti CIC. *Quæst. Tuscul. Lib. II.* dicit. *Si unam virtutem confessus sit Te non habere, nullam necesse sit, Te habitum. Et praeter HENR. MORVM in Encir. Lib. II. Cap. II. et III. dicit AMBROSIUS Lib. I. De Officiis Cap. 27.* Virtutes individuas esse; sed *Opinione vulgi sejunctas vid.* LIPSIVS in *Manud. ad Philo. Stoicam Lib. III. Diff. IV. p. m. 114.* tamen inter illas eminet Justitia, ad quam erga alios exercendam, requiritur ut (1) Omnes aequales non quidem ratione virium uti HOBBESIVS de Cive Cap. III. sed ratione Communis juris habeamus, quam non in aequalitas Politica tollit (II) Aequitatem colamus et (III) denique neminem laedamus. Quemadmodum autem praecipue heic sermonem respicimus, ita sententiam nostram ipsi Divus Paulus adprobat quando Eph. IV. v. 25. inquit. *Deposito omni mendacio loquimini veritatem quaque proximo suo.* Et FRIEDEMANNVS BECHMANNVS in *Annot. in Theol. Moral. OLEARII Tab. 46. p. 347.* Ed. Erf. iudicat ita: Duplex est in mendacio inordinatio, (1.) Mentiuntur insi quia contra ordinem naturae Oratio eius, quae mentis interpres esse solebat, a mente plane dissentit (2.) ad proximum quia Veritatis Observantiam quilibet proximo suo debet ex Obligatione naturalis et divini Juris.

§. XXI. Ex his generalibus, licet dubia nostra allata decidi possent, tamen ordine procedentes rationibus unumquodque tollamus. Quod igitur ad Objectionem I. attinet, committitur ibi ignoratio Elenchi, nam licet non negemus, quod interdum per conditiones tacitas ex ipsa rei natura fluentes juramenta restringamus, imo plane tollamus; tamen fundamentum ex rei substrata materia licita vel illicita semper petendum est, quemadmodum supra §. 6. de natura pactorum monimus, nec ideo strictae juramentorum Interpretationi subscribendum est. Illa itaque exempla §. 8. et 9. allata neutiquam adprobamus, licet etiam celebris Grotius facta Israelitarum, Davidis de impunitate Simei

excusare annitatur, quem THOMASIVS in *Luri pr. div. Lib. II. Cap. IX.*  
§. 51. refutavit. Ad Object. II. notamus locum tantum sibi vindicare  
hanc regulam, in illis rebus, quae habent favorem vel odium Juris,  
ut Pupillus, foemina, pia Causa, dos testamentum, servitutes per-  
sonarum etc. vulgo enim dicimus, *Ubi est eadem aut similiis juris ratio*  
*ibi quoque eadem aut similiis dispositio s. Juris applicatio*, Caeterum postu-  
mus quidem cum VITRIARIO lib. 2. Cap. 14. Relaxationem et dispensa-  
tionem statuere (quos CVLPISIVS ad Grot. lib. I. Cap. 13. §. 5. p. m. 87)  
distingvit (sed haec sive antecedenter sive consequenter fiant, ex  
natura juramentorum aestimantur, quae ipsa autem ex actus boni  
vel mali indeole cui accidunt, justa et injusta habentur, ut, si repu-  
gnat aequitati, ille actus rescindatur, juramentum quoque quod hunc  
actui acceperit, refolvi poterit. (III) Hi dum naturalem tollunt ob-  
ligationem, pugnant contra Socialitatem, ex qua sicuti reliqua prin-  
cipia in ordine officiorum erga alios fluunt; ita plane aliis denegant  
officia ad quae stricto jure tenentur. (IV) Ita aperte praejudicia au-  
toritatis committunt, quae quemadmodum ex turpi origine phie-  
lautia speciatim ejus filia voluptate oriuntur, ita omnes sani Phi-  
losophi fugienda nobis proponunt. conf. praeter IOH. CLERICVM  
in *Logica* Lips. 1710. evulgata AuctoR artis cogitandi, quem cum  
praef. edidit versione latina BVDDE VS HalaE 704. (V) Non est fa-  
ciendum malum, ut inde eveniat bonum. Rom. III. Bonum enim  
inquit DIONYSIVS AREOPAGITA ist ex integracausa malum ex  
quovis defelitu. De Divin. Nom. Cap. V. et AVGUSTINVS contra Mendac.  
Cap. VIII. Inter est quidem plurimum, qua causa, quo fine, qua intentione  
quid fiat, sed ea quae constant esse peccata nullo bona causa obcent, nulla  
quasi bono fine nulla velut intentione facienda sunt. et CICERO Lib. III.  
Offic. Cap. XXIX. Nam quod ajant quod valde utile sit, id fieri honestum im-  
vero esse, non fieri, est enim nihil utile quod idem non honestum, nec quia utile  
honestum sed quia honestum est utile. (VI) Id quidem verum est in officiis  
ergo nos et alios, sed respondebo ex JYSTINO MARTYRE, qui in  
Dialogo cum Tryph. f. m. 151. ita ait verbis e greco idiomate trans-  
latis. *Cui proximus perinde arque sibi charus est, is quae sibi ipsi obvenire  
vult eadem illi optarit commoda. Nemo certe sibi ipsi male vult, proxime  
proximo precabitur et praestabit, quaecunque sibi expertat proximum  
diligens.* (VII) Hos censet Gentilis CICERO Lib. III. Offic. Quod si  
maveris quasi DEO teste promiseris id tenendum est, et nullum vinculum ad  
adstringendam fidem maiores arctius esse voluerunt, quoniam qui dicunt  
fidem nullam esse, quae insidet datur, viderint, ne querant latebrum  
perju

perjario, quae verba ferme LIPSIVS reperit Lib. II. Polit. Cap. XIV.  
Præterea dum inscriptionem monetae DAVID BLONDELLVS, HER-  
MANNVS CONRINGIVS aliquæ passim refutarunt, non est operæ  
pretium, ut plura dicamus, res enim clara est. (VIII) Solet alias hic  
quaeri annon princeps circa juramenta dispensare queat? Resp. In  
illis qui a Consensu suo dependent. Princeps itaque subditos pacto sui  
juris factos juramento absolvere potest. Agit enim tunc ut Superior,  
qui juramentum ob defectum potestatis nullum fuisse declarat, vel  
etiam cui jurato promissa fuit, certis rationibus obligationem inde  
ortam juranti condonat, ne tamen præjudicium fiat Juri alterius.  
His observatis Volenti applicatio facilis est. (IX) Stratagemata in-  
primis politica sunt illicita, nisi velut ex compromisis et jure in al-  
terum quaesito qualia fere inbellis sunt, fluunt. Hinc rejicitur  
et improbat illud, quod Philippo Magnanimo Hassiae Prin-  
cipi a Carolo V. promissum fuit: Es solle sich der Land-Graff  
versichert halten / daß Er ohne einige Gefängniß bey dem Kaiser  
solte gehalten werden. Ubi autem pro voce enim ewig legeba-  
tur. (X) Distinctio haec non favet illis, nisi quod sermonem ass-  
tentem ex jure imperfecto derivant; qui vero in hac tenus enarratis  
casibus applicari nequit. (XI) Confundunt hic physicum et causale  
moralis cum ejus formalis, deinde etiam fundamentum cum rei ra-  
tione propria, itemque conditionem subjecti cum forma effecti-  
contra quos pluribus disputat cit. FERBERVS in Phil. Jur. Nat. Quæst.  
207. ed. Vitemb. 1709. (XII) Quemadmodum nobis PVFFENDORFIVS  
Lib. I. de offic. H. Cap. XVII. et NICOLAVS HERTZIVS in dissert.  
de Collisone Legum explicat, ita tantum monemus quod ex duobus  
malis moralibus neutrum sit eligendum. conf. etiam PVFFEND. de Jure  
Nat. G. 8 p. 46.

§. XXII. Quod ad Conscientiam attinet allatae exceptions neu-  
tiquam excusat, in duabus enim sententiis probabilibus est ea am-  
plicienda, quæ tutior et ad notiora principia accedit. Canon autem  
heic valeret, si *το ἀδίνατον* eslet penes homines non in sè et sua  
causa, quam vero Philosophus qua philosophus non perscrutatur.  
Caeterum in conscientia dubia tamdiu debet actio suspendi, quamdiu  
in ancipiti judicium haeret, bonum quid sit an malum PVFF. Cap. I.  
Lib. I. De Offic. H. et C. §. VI. Hinc etiam CICERO Bene faciunt inquit,  
qui vetant quicquam agere, quod dubites, aequum sit an iniquum. Imo  
Hebrei solent monere crebro, **סֵטְלָק הַקְמָה** abstine abs redu-  
bia.

bia. Ascupulosa autem quia dubia haud multum differt, et secundum principia data examinanda est, nihil amplius de illa dicemus. Erronea interim sicuti falsis principiis aliquid svadet ita uti falsus testis est rejicienda. De quibus THOMASIVS in *Pbil. Praef.* ad Tab. XII. annot. LXII. n. 10. conferri poterit. Expedit itaque ut ~~πρεσβύτερος~~ agamus, quod laudat CLEMENS ALEXAND. VII. Strom. fol. 170<sup>g</sup>. μάλιστα γαρ ἄγαλμα θεοντὸν θεῷ πρεσβύτερος αὐθόρυτος δικαιούχος. Imago enim valde divina et Deo similis est viri justi anima.

§. XXII. Tandem ut de perjurio quicquam addamus allegatus locus 1. Cor. 1. v. 23. adversariis neutiquam faverit ἕγω δὲ μαρτύρει τὸν ἐσπισταλόμενον ἐπὶ τὴν ἑμὴν ψυχὴν. quae verba ultima DEUM Dominum et judicem animae indicant. Caeterum licet talis non stricte perjurus habeatur, maxime tamen divini judicii reus erit, dum maledicit Nominis DEI, quam maledictionem abominadam jubent septem Praecepta Noachidica, quod recenset tam PETRVS CVNAEV<sup>S</sup> de Republ. Ebaeorum p. 272. quam etiam SELDENVS de Jur. N. et G. Cap. X. p. 118.

§. XXIV. Hisce praemisis possumus ad quaestionem AN STRICTA JVRAMENTORVM INTERPRETATIO SECUNDVM CONSCIENTIAM TENERAM SIT PERJVRIVM facile respondere et affirmare. Qam ob rem opus est, ut ejusmodi interpretationem fugiamus, iuramenta non temere suscipiamus, aut si suscepimus fuerint, secundum data principia examinemus ut illicita non stricte interpretetur; sed plane tollamus, DEQque nostro semper pie & juste servire possimus.


**SOLI DEO GLORIA.**




T

Wittenberg Diss, 1716

X 230 9006





Q. D. B. V.  
1716 1922 232

DISSERTATIO IURIS NATVRAE ET GENTIVM  
AN  
TRICTA IVRAMEN-  
TORVM INTERPRETA-  
TIO SECUNDVM CONSCI-  
ENTIAM TENERAM  
SIT PERIVRIVM?  
*QUAM*  
AVSPICIIS  
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI  
SERENISSIMI PRINCIPIS REGI  
DOMINI  
DN. FRIDERICI AVGUSTI  
ELECTOR. SAXON. HEREDIS ETC. ETC. ETC.  
PRAESIDE  
M. CHRISTOPHORO NICOLAO  
SPEISERO  
ROTTLEBRODA-CHER.  
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI  
AD D. V. MAI. A.O.R. MDCCXVI.  
PVBLICE DEFENDET  
IN AUDITORIO PHILOSOPHICO  
RESPONDENS  
IOANNES IOACHIMVS VESTPHALVS  
LIEBEROSA-LVSATVS PHIL. ET SS. THEOL. CVLTOR.  
VITEMBERGAE, FORMIS KREVSIGIANIS.